



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ  
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum  
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &  
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,  
plura, ad Gubernium ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1709**

Denunciationis Form XXIV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

## Denunciationis.

## F O R M U L A XXIV.

**H**IC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus excommunicatione majori Summo Pontifici reservata N. ex eo quia dum erat Depositarius, & Administrator pecuniarum, & pignorum S. Montis Pietatis hujus Civitatis, pecunias, quæ in usum pauperum erogare debuerat, in alios usus convertit, imo dolosè in proprium commodum consumpsit. Idcirco ut ab omnibus evitetur præsentis publicari jussimus: & tandiù anathemati subiacebit, quamdiù usurpata, & consumptam pecuniam Monti restituat, & deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit, &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

## V E L

**C**ON auctorità ordinaria, si dichiara, e denuncia Scommunicato di Scommunica maggiore riservata al Sommo Pontefice, N. perche essendo stato Depositario, & Amministratore del Sacro Monte di pietà di questa Città, il denaro, che doveva impiegare per beneficio, e sollievo de poveri, l'ha convertito in altr'uso, anzi l'ha con fraude usurpato per uso, e comodo proprio. Et acciocche sia da tutti evitato, si è publicato il presente Cedolone, e starà così Scommunicato, fin tanto, che haverà reintegrato il monte intieramente, e di poi ottenuto dal Sommo Pontefice l'assoluzione, &c.

N. Vescovo N.

Luogo ✠ del Sigillo.

N. Attuario.

## ADNOTATIONES.

**L**egitime crediti. Montis Pietatis erectio tunc dicitur legitima, quoties Sedis Apostolicæ approbatio interveniat, prout colligitur ex *Constit. Leo X. in Conc. Lateranen. evulgata*, & homologata anno 1515. impressa in *Bullario tom. 1. Constit. 11. §. 4. ibi -- Ac deinceps alios etiam similes Montes cum Apostolicæ Sedis approbatione erigi posse*. Ut autem instantia pro confirmatione erectionis sit honesta, & admissibilis, hæc sunt, quæ debent proponi.

Primo quod pecunia coacervata, & destinata pro Monte administrabitur à Ministris, qui dabunt idoneam cautionem de fideliter administrando, & singulo anno rationem reddent coram Syndicatoribus electis, qui eos absolvere, vel condemnare non poterunt, nisi prius computa ab Episcopo, vel ejus Deputato visa, & approbata non fuerint.

Secundo quod pecunia Montis non mutuabitur Divitibus, neque alienigenis, sed pauperibus, & indigentibus loci (non tamen Ministris, & Officialibus.

G 4 bus.

bus Montis) & aliò non convertetur :

Tertiò, quod Mutuatarii dabunt sufficiens, & certum pignus, pro certa, & determinata summa, quæ non debet excedere scuta . . . .

Quartò, quod Mutuatarii, singulis mensibus aliquid exiguum elemosinaliter v. g. duorum cum dimidio, vel trium pro centenatio ultra sortem solvent pro sumptibus necessariis ad conservandum Montem, scilicet pro stipendiis Ministrorum, pro conductione Domus, & certis aliis expensis, absque ullo lucro Montis, donec Mons possit propriis aliis redditibus dictas expensas sustinere.

Quintò quod pecunia dabitur mutuataris ad certum tempus v. gr. ad annum, vel ad summum duos annos: & si mutuum præscripto tempore non restituatur, pignus vendetur, & ex pretio pecunia debita Monti solvetur, & quod reliquum est Domino pignoris restituatur: imò quod post venditionem concedetur debitoribus mutuataris terminus saltem octo dierum ad pignus redimendum.

Sextò, quod super pignora non recipientur sequestra, seu arresta, nisi coram ordinario legitime constet, rem pignori datam fuisse furto subtractam, & se-

questrum, seu arrestum sit subscriptum ab ipsomet ordinario, redintegrato Monte de pecunia mutuata.

Septimò quod venditio pignorum non fiat diebus festis de præcepto, nisi in casu, quod diebus ferialibus ob carentiam oblatorum, venditio compleri non possit, & tunc non nisi obtenta scripto licentia Episcopi.

Octavò, quod fiat Inventarium mobilium, immobilium, & jurium Montis, quod erit subscriptum à ministris, & renovatum in ingressu, & sine officii.

Nonò quod Statuta supradicta fuerint ab Episcopo cum consilio Deputatorum Capituli Cathedralis, & Universitatis laicorum laudata, & approbata.

Hæc inquam, statuta sunt juridica, & honesta, quæ poterunt juxta exigentiam loci augeri, sed non minui: & de quibus sparsim loquuntur Lott. de usur. q. 22. num. 33. & seqq. Nicol. lucubr. crv. lib. 3. tit. 15. n. 13. & lucubr. can. lib. 2. tit. 9. de feriis post n. 5. Chrisp. de Visi. p. 2. §. 38. n. 15. Amotaz. de caus. piis tom. 1. lib. 4. c. 13. Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 19. n. 109.

Obtenta autem approbatione Apostolica, Decretum erectionis poterit sic concipi.

## Erectionis Montis.

### F O R M U L A XXV.

**C**Um ex elemosynis, & piorum hominum largitate, collecta fuerit pecuniarum quantitas, ut possit ad succurrendum Egenorum necessitatibus erigi, & institui Mons Pietatis; ideo Nos, cui præcipua pauperum cura commissa est, illis providere sat agentes, adhibito prius Deputatorum nostri Capituli, & Civitatis consilio, in Nomine illius, qui intelligit super egenum, & pauperem, & qui Dives est in misericordia: tum auctoritate nostra ordinaria; tum Apostolica nobis delegata, Montem Pietatis in hac Civitate N. ( & pro nunc in Domo conducta in Via N. ) perpetuo erigimus, & instituimus, & pro erecto, & instituto volumus, & declaramus, cum sequentibus legibus, & Statutis, videlicet ( & inserantur numericè Statuta, quibus per extensum insertis, immediate dicatur ): ita auctoritate prædicta erigimus, & Statuta præinserta servari volumus, & mandamus; reservata Nobis, & Successoribus nostris facultate ea augendi, & declarandi ( præterquam quo ad interesse solvendum à mutuataris )